



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CXXVII. De Fratre Theodorico Magistro Pruschiae VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAP. CXXVI.

De
Reædificatione castri Brandenburg
& laudabili vita cuiusdam fratris
ibidem.

MArchio de Brandenburg intelligens, quod castrum per eum
 ædificatum esset à Pruthenis destructum, turbatus est, &
 collecto iterum magno exercitu rediit Prusiam, & de Magistri
 & fratrum consilio ad eundem locum castrum aliud ejusdem
 nominis instauravit. In hoc castro fuit quidam frater Hermannus
 de Lichtenburg Nobilis, qui præter alias castigationes & ab-
 stinentias quibus se afflixit continuè circa corpus suum nudum
 loricā pro carnisia utebatur. Unde accidit quod super induitis
 aliis armis, dum ad bellum proficisciens impetuose se haberet
 sicut in tali negotio est consuetum, in tantum caro ejus corroso
 fuit, ac si fuisset scorpionibus cæsa. Pro quo dum frater Petrus
 Sacerdos confessor ipsius eum redargueret, assenseret quod tem-
 pore belli deberet loricam deponere, propter armorum grave-
 dinem aliorum: Respondit, quod nulla necessitas ad hoc cum
 posset artare, quod vivus eam posset deponere. Sed in ipsa no-
 cte sequenti apparuit ei B. Virgo Maria, quæ tactu placidæ ma-
 nus suæ ipsum sanavit, sic quod dum eum frater Petrus prædi-
 ctus iterum videret, nulla corruptionis alicujus in cute ipsius
 macula comparebat.

CAP. CXXVII.

De
Fratre Theodorico Magistro Pruschia VIII.

Fra-

Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.

Theodoricus de Gattersleben VIII. Mag. Prov. in Prussia.

Frater (a) Theodoricus de Gattersleben. Magister terræ
Pruschiæ octavus präfuit (b) VI. annis. Anno Domini
MCCLXXI. Hoc tempore fuit & Marschalcus, Frater Conradus
de Tierberg Senior.

ANIMADVERSIONES.

(a) Hunc Magistrum ab Hartmanno de Heldrungen fuisse in Prussiam
misum dicit Auctor Chronicus Latinè scripti sub Friderico Magi-
stro Prussiæ.

(b) Auctor Chronicus Germanicus in 4. habet 8. annos. Sed ex collatio-
ne Historiæ apparet, non posse huic Magistro plures quam sex an-
nos assignari. Vide que diximus ad cap. 129.

CAP. CXXVIII.

De

Vastatione terræ Nattangiæ per Do-
minum Theodoricum Marchionem
Misnensem.

Anno Domini MCCLXXII. dum videns videret Dominus
afflictionem populi sui in Pruschia & jam venisset plenitu-
do temporis in quo sui voluit misereri, An. Domini MCCLXXII.
Dominus Theodoricus Marchio, Mis- Gregorius Papa IX. fuit.
nensis filius Illustris Principis Domini Hic sanctam Hedwigin Du-
Henrici, de quo in bello Pomezano- cissam Poloniae Canoniza-
rum (a) superiorius est prämissum, venit An. Domini MCCLXXIII.
ad terram Pruschiæ cum multitudine Rudolphus de Astburg in
pugnatorum & dum assumptis sibi Ma Regem Romanorum est ele-
gistro & fratribus hostes vellet aggre- gatus.

di, invenit propugnaculum in tractu terræ Nattangiæ firmatum
multis armigeris, qui ingressum dicto Princi prohibebant.

Ff

Sed